



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vaniloquentia evitata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

TEMPERANTIA. CAP. VII.

A Sed quid illud, quod etiam intemperantiæ significatum, aut ejus, qui servare modum in rebus sonit, per Elephantum qui cibum caperet, exprimebant? Assuetus enim certæ pabuli mensuræ, si quid largius opulentiusque apposueris, tantum assumit quantum quotidiana consuetudine pascere sit institutus. In Syria^a cum domi quidam educaretur, magister accepta hordei mensura, dimidium singulis diebus intervertebat: cumque aliquando præsentem domino totam illi mensuram apposuisset, simulatque animadvertit Elephanta duplicatam esse pabuli portionem, hordeum id in partes duas promiscue disgregavit, tam æquas, ac si vel modio quis dimensus esset, unaque magistro portione derelicta, consuetam sibi partem absumpsit: cujus facti meminit Plutarchus.

ÆQUITAS. CAP. VIII.

B Neque quidem exemplum aliud prætereundum, ex quo æquitatis etiam idem hoc animal servantissimum esse fateamur. Quidam mensuræ quæ magistro impendebatur, & lapillos, & pulverem immiscebat, quod de pondere aliquid fraudaret: animadvertit Elephas apud illum carnes elixari, accedensque cinerem è foco in ollam, paria facturum injecit.

DECLINATOR INSANIÆ.

E St illud vere regium, infanos & dementens homines evitare. Quapropter Ægyptii hominem tali prudentia præditum, ut nihil sibi cum stultis & fatuis esse vellet, ostendere cum studerent, Elephantum & Caprum hieroglyphice ponere soliti sunt: ac de Capro quidem suo commentario quæ usui venerunt, perscripta sunt.

C Causam picturæ hujus esse dicunt, quod Elephanta Capro quamprimum fugit, tantum est inter eos naturæ morumque dissidium, ut virtus, vitium nullo possit pacto tolerare. Facit ad hoc etiam antiquissimum Mosaicæ legis institutum, quo principes ubi deliquerint, sacra facere admonentur ex Hirco, cum alioqui privati homines Capram vel agnum immolarent.

VANILOQUENTIA EVITATA. CAP. IX.

C Um vero vaniloquum genus hominum Regi cuiuspiam despectui habitum, ac sedulo evitatum ostendere curassent, Elephantum & Porcum appingebant. Elephas enim Porci audito grunntu, in fugas se proripit e vestigio, non secus ac generosiores Equi, præsertim Scythici, Asinorum rudium impotenter admodum exhorrescunt, quod exemplo Darii exploratum est. Nihil porro quicquam tam conveniens Regi, quam dicacitatem, vaniloquentiamque ab ædibus suis procul summovere: eamque inimicam sibi constituere, ut adagio receptum sit, *Fidem Regiam asseverando in eis, qua omnino credi volumus attestari.* De Porcis autem, quos pice oblitos, & mox igne flammatos Megarenses in Antipatri Elephantos immiserint, eosque ita fugarint, in Porci ipsius commentario historia recitat.

